

IOANNES MARQVARDVS A KINSECK.



Ioannes Marquardus ex illustri baronum à Künseck familia natus est. Is cum felici ingenio præditus esset, parentum cōsilio operam literis dedit, atq; linguarum & artium magnum sibi usum cōpauruit. Postea quoq; armorum exercitū cōplexus, atq; Cæsaris castra secutus est. In primis uero expeditionibus Turcicis interfuit, atq; sua uirtute inter proceres sibi magnum nomen comparauit. Pollebat enim singulari prudentia, & in rebus agendis felicitate rara. Id cum Ferdinandus Cæsar intellexisset, hunc Ioannem Marquardū inter præcipuos consiliarios elegit, atq; tādem 1545, sub initium belli Smalkaldici præfectum in Ensisheim, & superiores Alsatiæ capitaneum constituit. In ea functione Ioannes Marquardus fuit diligentissimus, ita ut ab omnibus plurimū diligeretur. Cum hoc modo ueneranda canitie esset conspicuus, tandem anno 1552 in Ensisheim Apoplexia obiit, atq; honesta sepultura decoratus fuit. Anon.